

PROBATIO.

Remota in thesi priori cognitione innata, alia via nunc nulla superest, qua res corporeas cognosceremus, postquam enim semel, Mens juncta est corpori, non nisi quæ à sensibus & sic dictis spiritibus animalibus ipsi offeruntur & quæ inde excitantur Ideas cogitat, & nullum in contrarium datur exemplum.

Factitiæ autem, quod jam monuimus, à mente ulterius inde excitantur Ideæ, & referimus hic, quæ Cartesiani tam urgent, notiones Universales, divisiones mentales, Definitiones & de Methodo doctrinam, omnesque abstractiones mentales.

Antithesis.

notante Chauvinio. Peccant in hoc Epicurei, qui male Factitias cum adventitiis confundunt cognitiones, dum gigni in animo docent ideas vel incurfione, vel proportione vel similitudine vel compositione, unde ortum illud omnium ore tritum: nihil esse in Intellectu quod non fuerit prius in sensu.

de Communib. rerum Principiis. Ben: Pererius ex Aristotele quidem asserit in Physicis non pauca reperiri quæ nobis secundum naturam nota sint, sed cum locus iste multum involvat obscuritatis & ab Alexandro Aphrodisæo aliter explicetur, nec ullum author subministrarit exemplum dubiam quoque ejus sententiam relinquemus.

Sunt quoque huc referendi Infusi Habitus, qui